

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4272

Auteur(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1215

Lieu d'émission : Coutances

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le chapitre de l'église de Coutance notifie l'accord conclu entre l'abbé et les chanoines de La Lucerne, d'une part, et Robert Brese, laïc, d'autre part, sur un fief sis en paroisse de Saint-Pierre de Blainville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° LIV, p. 46-47.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit capitulum Constanciensis ecclesie salutem in Domino. Noverit universitas vestra controversiam que vertebatur inter abbatem et conventum Sancte Trinitatis de Lucerna, ex una parte, et Robertum (sic), laicum, ex altera, coram venerabilibus fratribus et concanonicis nostris G. cantore, R. archidiacono, et R. Labe, magistro scholarum Constanciensibus, iudicibus a sede apostolica delegatis, super quodam feodo sito in parrochia Sancti Petri de Blainvilla in hanc formam pacis in capitulo nostro, nobis presentibus, conquievisse : videlicet quod predictus Robertus Brese, laicus, dictis abbati et canonicis Sancte Trinitatis de Lucerna dedit et concessit totum illud feodum integre et absolute cum omnibus suis pertinentiis in terra et in mari, pro salute anime sue et parentum suorum, feodum scilicet Rogeri Leir, patris sui, et Willelmi et Stephani, avunculorum suorum ; quod feodum dicitur continere quinquaginta acras terre, vel eo amplius ; et omni juri quod se in eodem feodo contendebat babere penitus renuntiavit atque dictos abbatem et canonicos a sua impetitione omnino quietos dimisit, et se prenominatis abbati et canonicis predictum feodum cum omnibus pertinentiis suis, ut prescriptum est, videlicet in terra et in mari, garantizaturum bona fide contra omnes homines, prestito corporaliter sacramento, promisit. Pro hac autem concessionc et pace ab eodem R. redimenda dictus abbas et conventus prenominato R. dederunt caritative viginti libras Turonensium. Actum est hoc anno gracie millesimo CC. XV, nobis presentibus in capitulo nostro, sicuti prescriptum est. Et, ne rei veritas angustetur, sed semper falsitati eadem preferatur, que coram nobis tam sollempniter gesta sunt vobis presentibus testificamur, et, in hujus rei testimonio, presens scriptum sigilli nostri testimonio communitum emittere dignum duximus.